



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

ix. De Crimine falsi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

feriri, aut si Clerici sint, proprii ordinis & honoris amissionem substinere debent.

In propria sponsa non cadit raptus, & raptus per consensum purgari potest. h. d.

a cap. pen. et fin. extr. de raptor.

Raptus^a autem tunc committi dicitur, cum illa, de cuius nuptijs nihil actum fuerit antea, abducitur. Vnde qui sibi despofatam, vel parentibus reclamantibus, abduxerit, in crimen raptus, & in poenas minimè incidit. Rapta quoque puella legitime cum rapto matrimonio contrahet, si prior dissensio in consensum transeat. Raptor enim & rapta nomina sunt vitiorum, non personarum: vitia autem cum purgata fuerint, eorum etiam nomina abolentur.

Raptus Monialis purgari non potest. h. d.

Sed hæc de illis intelligenda sunt, qui mulierum laicarum consensum habuerunt: nam si quis Deo dicatas virgines^b, vel raptuerit, vel volentes matrimonio sibi sociare tentauerit, tanquam sacrilegium admittens, pro tanephandi criminis atrocitate plectendus erit, nulla^c prorsus voluntatis sacrarum virginum habita ratione.

b can. 2. 36. q. 2. cum seq.

c gloss. 1. d. can. 2.

Pœna simplicis fornicationis est arbitraria. h. d.

Demum si quis cum muliere soluta & impudica simpliciter fornicatus fuerit, tam poenitentis modus, quam etiam alia poe-

na in Iudicis potissimum reponetur arbitrio, qui ex qualitatibus varijs minorem, vel maiorem poenam statuet.

DE CRIMINE FALSI, TITVLVS IX.

Qui per se, vel per alios literas Papæ falsant, excommunicati sunt cum suis fautoribus, & Clerici officijs & beneficijs priuantur, et degradati traduntur Curie seculari. h. d.

Duersus eos quoque, qui falsi crimen commiserunt, variè statutum reperitur: illos tamen cæteris acrius Canonnes insectantur, qui literis Apostolicis falsis vsi fuerint. Taliū enim literarum falsarij^d cum fautoribus & defensoribus suis, anathemate feriuntur: & si Clerici fuerint, omnibus officijs & beneficijs Ecclesiasticis perpetuò priuabuntur, ita, vt qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticū Iudicem degradati fuerint, seculari potestati tradendi sint secundum legitimas constitutiones puniendi: per quam & laici, qui fuerint de falsitate conuicti, legitime punientur.

Qui falsis literis utitur, si Clericus est, officijs & beneficijs priuatur: si laicus, excommunicatur. h. d.

Mitiùs^e cum illis agitur, qui licet his vtantur, tamen ipsi non falsificauerunt: si enim Clerici fuerint, officijs & beneficijs Ecclesiasticis spoliandi erunt: si laici,

d cap. ad falsariorum, extra. co. tit.

e d. capit. ad falsariorum. §. qui uerò. ext. eod. tit.

ei, tamdiu excommunicationi subijcientur, quamdiu competenter satisfecerint. In vtrisque tamē malitia grauius, quam negligentia punietur: quod & de his, qui falsas literas impetrāt, obseruabitur.

DE HOMICIDIO,
TITVLVS X.

Assasinium, sicuti omnium homicidiorum est atrocissimum, ita etiam atrocissime puni- tur h. d.

Cum non ad opera tantum sit respiciendum, sed tempus, causa, voluntas, personarum differentia, & omnia quae operibus accidunt, sint peruestiganda, sequitur, ut non sit omnium homicidiorum eadem conditio. Cunctorum verò illud atrocissimum videtur, quod *Assasinium* vulgò nuncupant. Unde non solum assasini ipsi, sed etiam receptatores, occultatores, consultores & defensores eorum, & qui per eosdem quæquam interfici fecerit, aut mandauerit, dignitatibus, honoribus, officijs, beneficijs, omnibusq; bonis nudatus, excommunicationis & depositionis incurret ipso iure sententiam, & tanquam Christianæ religionis hostis à toto Christiano populo perpetuò diffidatus erit.

Interficiens per industriam similis est Assa- sino. h. d.

Non absimilis eum tenet pœ-

na, qui licet nõ per assasinium, per insidias tamen & industria hominem interfecerit.

Interficiens latronem nõ ex necessitate, puni- tur: secus, si ex necessitate. h. d.

Quòd si quis latronem, vel furem peremerit, videamus, an sit puniendus: & si quidem furem absque occisione comprehendere potuit, certa aduersus eum statuta pœnitentia reperitur: quod si non potuit, nulla occisori erit ex necessitate iniungenda pœna.

Non punitur homicidium fortuitum, si nulla culpa casum præcessit. h. d.

Idem etiam obtinebit, si casu perpetratum fuerit homicidium, utputa, si quis necessario insistens operi, arborem incidere, & aliquis subtus transiens opprimatur: nam si neque voluntate, nec vlla incidentis culpa factum fuerit, ut pertransiens opprimeretur, arborem incidens homicidij pœnis obnoxius nõ erit.

Pœnitentiã certorum annorum est iniungē- da parentibus opprimentibus filios. h. d.

Alia ratio est eorum, qui proprios filios oppressisse reperiuntur. Cum enim hos grauius deliquisse non sit dubium, certorum annorum erit illis iniungēda pœnitentia.

Filius à patre, uel ab alio, patre sciente, ex- positus, liberatur à patria potestate: & expo- situm suscipiens nullum in eo habet ius. h. d.

cap. 2. extr.
cod. tit.

cap. sæpè
cõtingit. 50
distin.

cap. si. extr.
de his quã fi-
li. distraxe.

cap. 1. eod.
tit. in 6.

cap. 1. extr.
eod. tit.